



49

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS,
PHILIPPVS LVD.
HANNEKENIVS,
S.S. THEOL. D. PROF. PVBL.
ET CONSIST. REG. AC ELECT.
ASSESSOR,
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.

15

Permultum ad fingendas
mentes valet temperatio
aëris, coelique magna vis
est ad mores formandos, et situs lo-
ci, in quo quisque gignitur, pluri-
mum confert ad acqvirendas inge-
nii vires, industriamque alendam.
Nam id soli cuiusque natura habet,
ut fructus alibi meliores, alibi me-
diocres, ac minus diuturni, prout
eorum semina fuerint, nascantur.
Illae profecto radices optimae
sunt, et ubertate succi aliis prae-
stant, quas liberior Sol collustrat,
caloreque suo impertitur, praefer-
tim quum diligentia cultoris acce-
dit, quae naturam adiuvat, et motu
ciet vigorem. Idem hoc usu ve-
nit familiis dignitate florentibus,
quae tanquam plantae foecundo
humore praeditae, a tenui initio o-
riuntur et crescunt, sensimque sub
miti

miti coelo se altius tollunt, et inprimis ad orientem solem, ac meridiem, vires suas explicant, et arbusta imitantur, in quibus diversa arborum genera, insitis apte furculis, coalescunt, et varios cumulosque fructus, velut ab una stirpe, praebent. Haud alia gentis pervetustae atque insignis Kirchmaierianae conditio fuit, quae locum idoneum nacta, paulatim se extulit, ramosque effudit, non steriles, et nulli usui futuros, sed optimis fructibus refertos. Haec primas in Austria radices positas habuit, et sementem ibi fecit, quam prospera messis consecuta est, cum Dei beneficio inter turbines ac tempestates servaretur. Ex ea deinceps excessit, et solum mutavit, non gravitate aëris, nec vitio loci, sed miseria temporum, quae partibus recte
len-

sentientium infesta erant. Ita per-
venit in Franciam, a Germanis, qui
Moenum inter et Rhenum conse-
derunt, appellatam, regionem opi-
mam et fertilem, vineisque confi-
tam, et frugibus cumulatam. V-
bi nihilo deteriores fructus tulit,
et multam procreavit sobolem,
quam variae et eximiae virtutes
exornarunt. In eo Germaniae tra-
ctu, formandis hominum ingeniis
felicissimo, nascentis Kirchmaieri-
anae laudis initium fuit, unde ma-
gna deinceps ornamenta, firmatis
aetate viribus, extiterunt. Nam ibi
primum spiritum duxit, et ab anti-
qua stirpe prognatus est nobilissi-
mus vir, GEORGIUS CASPAR
KIRCHMAIERVS, Professor pu-
blicus celeberrimus, atque huma-
nitatis doctor ac interpretes dexter-
rimus, et auctoritate senili gravis-
simus,

simus, maximarumque rerum omnium scien-
tiam animo complexus, et iis praecipue adiu-
mentis, quae reconditae eruditionis copiam au-
gent, instructissimus, inveniendi solertia perspi-
cacissimus, expoliendi facultate uberrimus, di-
cendi arte summus, et quam denique in partem
mentis suae aciem intenderet, acerrimus fa-
gacissimusque. Natus altusque est tempore
difficili et aerumoso, quo omnes prope Ger-
manorum fortunae in discrimen venerunt. Pa-
ter quaestoria dignitate praeditus, et fide, quam
Principi suo probavit, usuque rerum firmus, et
in munere gerendo prudens, ac redituum dis-
pensator cautus, GEORGIUS ABEL, ex utilitate pa-
triae sumptus fecit, eosque, si flagitabat necessi-
tas, tam opportune, quam sapienter contraxit. A.
clo hoc XXXV. III. Kalend. Sextil. hunc natu ma-
iorem filium Vffenhemii suscepit ex ANNA MAR-
GARETHA BEZOLDIA, cui luculentum obtigit a na-
tura genus, et illo tam auspicato matrimonio
dignum. Ab his parentibus semina iacta sunt,
ex quibus propagatum est vivum germen, id-
que valens, et viribus vicens, in quo omnia vir-
tutum genera effloruerunt. Ineuntis vitae tem-
pus domi, et in patrio ludo consumpsit, cum
lubricam adolescentis aetatem regeret M. Ioan-
nes Samuel Riglerus, vir sedulus, et docendo

B

prae-

praestans. Hinc Onolsbachium abiit, et recti
moris, ac studiorum magistro usus est Ioanne
Friderico Iunio, qui omnem operam adhibuit,
ut Latinis, Graecisque literis excultus, ad susci-
piendam verae eruditionis cogitationem sua
sponte se excitaret. Eo minus ab incepto revo-
candum censuit Andreas Hammer Schmidius, a
concionibus sacris, et ingrediendi diviniore stu-
dii auctor, qui nulla consiliorum parte ei defuit,
neque aditum ad interiores Ebraeorum doctri-
nas interclusit. Quare in curriculo, quod confi-
ciendum restabat, mira quadam alacritate per-
rexit. Sex annos transegit in Gymnasio, cum
Princeps Albertus, de singulari eius industria ad-
monitus, constituto vitae subsidio, rationem ci-
vis patriae devinciendi iniret. Accepit benefi-
cium, et patriae solo nihil carius duxit, sed futuri
ignarus, quod in altiore civitatis, eruditae, in-
quam, civitatis gradu collocandus esset. Itaque
consiliis amicorum, et sententiis patronorum confir-
matus, anno clō Jōc LV. Vitembergam concessit, quod
ut faceret, maxime eum permovebat D. Tobias Appol-
dus, sanctior Onolsbaci consiliarius, paterno iuvenem
amore prosecutus. Cum quo sentiebat summa vir au-
toritate D. Christophorus Mehl fuhrerus, sacrorum An-
tistes, qui id eximio eius ingenio a se deberi existi-
mabat. Simulac urbem ingressus est, D. Ioannes Scharfi-
us, Theologus Academiae praecipuus, sibi commen-
datum admisit, et pari ipsum benevolentia excepit,
perspicacissimo vir animo, P. Ioannes Sperlingius, cu-
ius

ius viva memoria apud nos etiamnum viget, neque apud posteros, si literae honorem fervent, intermorietur. Hunc adeo ducem, et Saxoniae Senecam constanter secutus est, hunc coluit semper et suspexit, hunc audivit pariter atque admiratus est, sive gravitatem rerum, sive orationis suavitatem, sive meritorum in omni genere magnitudinem consideraret. Quare hunc eruditionis concertationis arbitrum et moderatorem delegit, eaque exercitatione fecit, ut prompte differeret, etiam de rebus gravibus, et maxime abstrusis. Duobus post annis, cum summa sapientiae laurea, simul docendi ac disputandi facultatem consecutus est, iamque dignus haberi coepit, qui doctore impedito, aut morbis implicato, tanquam vicarius muneri succederet, et artes, atque disciplinas publice interpretaretur. In literarum studiis consecutus est Augustum Buchnerum, cui fama immortalis parata est, meritis nulla par oratio erit. In erudito pulvere, ad investigandam cuiusque rei magnitudinem et molem, et ad coelum terramque dimetiendam pertinente, totum se tradidit exquisitissimo artificio, et mensori Christophoro Nottnagelio: in reliquis Philosophiae partibus D. Michaeli VVendelero, diligentiae laude, et meritorum fama notissimo, operam dedit. In linguis, quas Orientis regiones continent, Andream Sennertum sibi ascivit ducem, cuius celebre est atque pervulgatum apud omnes nomen. In religionis disciplina se adiunxit Theologis D. Scharfio, D. Calovio, D. Meisnero, D. Kunado, quorum summa, quae extant, merita in omnium ore versantur. Haud minore animi contentione ad iurisprudentiam accessit, non solum ut transferret in forum, sed etiam ut dictionem, sicut bonus quisque orator solet, educeret in aciem forensis. Testes industriae fuere Christianus Klenzelius, Caspar Zieglerus, Saxoni a consiliis, Gvielelmus Leiserus, omnes Iuriconsulti, quorum laudes sunt immortales ac sempiternae. Nihil addo de Medicis, cum quibus frequentissimos sermones habuit, et res potissimum naturales, quoad potuit, diligentissime indagavit, et reconditas auri argenti-que venas perscrutatus est, atque in montium latebras ac recessus se demisit, ut cupiditatem sciendi expleret, nec minus metallorum fossoribus prodesset. Quaedam ex affectione coeli, sine ulla tamen superstitione, praedixit, animi potius causa, quam ut serio affirmaret. Haec agentem, neque imbrium
vim,

vim, neque ventorum tempestates pertimescentem, laetissimus ab aula nū-
cius, A. M DC LXI. recreavit, quod commendatione Senatus Academi-
ci, et auspicio PR. EL. gravissima Oratoris provincia ei demandata esset, in
qua deinceps administranda omnes ingenii vires experiretur. Quam di-
gnitatem ubi nactus est, florem aetatis non solitudine delibandum ratus,
Virginem ELISABETHAM, a nobilissimo Patre, Christophoro Nottnagelio,
nuptui dandam stipulatus est, quam eodem anno, perfectis connubii solen-
nibus duxit, et contracta necessitudine, duas, et florentes familias, archissi-
mo foedere coniunxit. Ex castissima hac coniuge tres filias procreavit,
primam Magdalenam Elisabetham, nobilissimo Ioanni Baptistae Dobene-
ckero, a consiliis principalium censuum, fide matrimonii devinctam, sexus
elegantis ornamentum: reliquas, Annam Elisabetham, et Mariam Dorothe-
am, paulo post defunctas. Plures autem ex ea filios genuit, atque in his na-
tu maximum, Georgium Casimirum, IC. et propter obeunda quorundam
Principum negotia in Britanniae regno commorantem, Carolum Christia-
num, P. Medicum experientissimum, Henricum Iulium, et Georgium Gvili-
elmum, humanitatis Professore publicum Extra ordinem dignissimum,
Ioannem Abraamum, duobus abhinc annis mortuum, Ioannem Fridericum,
sapientiae studiis deditum, et denique Ioannem Fridericum, dudum rebus hu-
manis exemptum. Omitto filiolum, immaturo partu editum, et in utero mor-
tuum, superstites autem, praesertim paternae opis indigentes, doleo, merito-
que deploro. Quorum pater celerius, quam eius vires postulabant, ereptus
est, quae plaga quidem familiae insanabilis existimari debet. Nihil tamen
ei auferre potuit, cuius decora, et monumenta maiorum, et familiae sacra, laudum-
que documenta publica et aeterna in Francia et Saxonia supersunt. Quem Rex
novissime ad visendas Saxoniae scholas cum auctoritate misit, atque eius doctri-
nam, iudicium, et integritatem hoc velut testimonio non suspecto, nec fallente
comprobavit. Augustus Caesar quoque virum omnia diligenter inqvirentem,
benevolentia singulari et gratia complexus, partes ei tradidit per vestigandi Sile-
siae metalla, et adhibita omni diligentia efficiendi, ut certis patefacta indiciis, ex
montibus, quos natura obtexit, publico patriae bono eruta, in conspectum lu-
cemque proferrentur. Curavit negotium, et montes vallesque, non sine in-
commodo valetudinis, peragravit, et ubi partem huius muneris bene posuit, prae-
mio affectus discessit. Praetereo alias, et prope innumerabiles talis tantique vi-
ri laudes, qui voluntarios etiam labores sibi iniunxit, et itinera confecit, et Belgas
Batavosque adiit, pluteos excussit, bibliothecas versavit, codices perqvissit, et sum-
ma cura studioque semper aliquid limavit, et confecta etiam vindemia, racemos
interdum labore non inutili collegit. Ad postremum omnibus rebus bene sapi-
enterque gestis, Vitembergam reversus, sed morbo tentatus, et invalescente ma-
lo, quod nulla, ne Sperlingiana quidem medendi arte, optima licet, et cum Zie-
griana subsidiis coniuncta, profligari potuit, fractus tandem et superatus, erro-
res vitae, viatico de manibus pii Ecclesiastae sumpto, fiducia Christi expiavit,
editisque sanctimoniae signis, magno cum patrum civiumque luctu extinctus,
quinque et sexaginta vitae annos, cum octo hebdomadibus, explevit. Vos au-
tem, Cives, ut par est, Oratori optimo, *Seniori* gravissimo, Consulatu Academiae
aliquoties perfuncto, et in summo Ordinis sui munere saepius versato, deque vobis
omnibus patris in modum promerito, supremum persolvite officium, et memo-
riam eius hoc documento amoris, et erga Nottnagelianas pariter atque Kirch-
maierianas necessitudines observantiae testimonio conservate. Pompa funebris,
corpore terrae mandato, ex aedibus in vico Iuridico sitis, quas vivus incoluit, ad
aedem Marianam procedet, et funebri concione habita, ad templum arcis ab H. I.
Pomerid. deducetur. P. P. Dominica XXI. post TRINIT. A. M DCC.



49

RECTO
 ACADEMIAE VITEM
 PHILIPPVS
 HANNEKI
 S.S. THEOL. D. PI
 ET CONSIST. REG.
 ASSESSO
 CIVIBVS ACA
 S. P. D



32

